

R.K.  
432  
14

IIk  
3388

LEX ROMVLEA  
DE PRODITIONIS CRIMINE  
PRAEVARICANTIVM PATRONORVM ET CLIENTIVM

AD

# ACTVM ORATO- RIVM

VI. BONAE SPEI IUVENVM  
DE PRODITIONE ET PRODITORIBVS  
CRASTINA LVCE

DIE XXX. MENSIS FEBRVARII

A. MDCCLXIII.

HABENDVM

MAGNIFICVM EPHORVM AMPLISSIMVM  
SENATVM PLVRIMVM REVERENDOS, V. D.

MINISTROS

NEC NON

RELIQVOS BONARVM ARTIVM SCHOLARVMQVE  
FACTORES

HYMANISSIME INVITAT

M. CHRISTOPHORVS KRETSZCHMAR  
LYCEI CRVCIANI RECTOR.

D R E S D A E

IOHANNIS GVILIELMI HARPETERII LA

BIBLIOTHECA  
PONICKAVIANA

UNIVERSITÄT  
HALL  
LEHR-  
BÜCHER





§. I.

**R**omuli, urbis Romae conditoris (\*), sapientiam miro celebrant consensu prisci rerum gestarum scriptores, PLVTARCHVS, DIONYSIVS HALICARN. LIVIVS, alii PLVTARCHVS, in vita eius, imprimis, ei non solum γνώμην καὶ πολιτικὴν σύνεσιν ἐν ταῖς περὶ ρωμαῖς καὶ κωνηγίας, consilium & civilem prudentiam in pascendo & venando, prae Remo fratre, tribuit: sed etiam addit, fuisse vicinorum, qui cum illo commercium habuerint, de eo, adhuc pastore & venatore, opinionem ἡγεμονικῆ μάλλον, ἢ πεδασαρχικῆ, ipsum magis ad imperandum, quam ad parendum esse natum. Certe haec eius sapientia cum animi magnitudine coniuncta, quam iuuenis & pastor adhuc, ostendit; postea ex Vrbe condita, ex sermone, quem de instituenda habuit republica, nobis a DIONYSIO l. c. p. m.

(\*) Communem hic sector opinionem, a PLVTARCHO, DIONYSIO, LIVIO-que traditam, Romulum & originem & nomen dedisse Vrbi, a se conditam. At sententiarum discordia eorum, qui partim Romam a Pelagis conditam, vrbiq; ἀπὸ τῆς ῥώμης, a fortitudine, inditum nomen, tradidere; partim eius originem a nonnullis Troja profugis, nomenque a muliere maculae virtutis, Roma dicta, deriuarunt; partim Romam, Itali & Leucariae filiam huc traxerunt; partim spectro euidam, nescio, quam fabuloso, Vrbi originem adscripserunt, & ita longe sequi alia non dubitarunt, PLVTARCHVS in vita Romuli statim ab initio commemorat. Conf. CL. GEORG. CHRIST. GEBAVERI Diss. sub. tit. *Romulus observat. varii generis illustrant.* Lips. 1719. vent. e. II. §. 4. p. 19. seq.



m. 78. referuato, ipsis ex eius institutis in rebus ordinandis, & ex legibus, quas vndiquaque collectae hominum multitudini dedit, ex reliquis, satis superque patescit. Sicut igitur rerum publicarum conditores, (quam ad rem sapientia summo requiritur opere) generatim maximae fuisse indolis viros, non erit facile, qui neget: Sic Romulo hanc esse non minus, quam reliquis adscribendam, indubie veteribus assentior. Sed vnde haec viro, inter feras & pastores nutrito, inque filius fere educato, sapientia? Fuerunt, qui adfirmarent, eum cum Remo fratre Gabiis liberalibus artibus aliisque institutum fuisse scientiis, teste PLVTARCHO in eius vita: Γράμματα λέγονται, καὶ τὰλλα μανθάνειν ἐν πατρὶδες Γαβίους κομιθέντες, ὅσα καὶ τὸς εὐγεγονότας, litteras dicuntur & alia didicisse pueri (Romulus nempe Remusque) Gabios translatis quantum oporteat nobili genere natos. (\*\*\*) Idem confirmare videtur DIONYSIUS I. II. p. m. 97. tradens Romulum ὑπὸ τοῖς Ἑλληνικοῖς ἤθεσι, τοῖς ἐκλελυμένοις, τραφῆναι, Graecorum moribus solutis s. liberioribus, educatum fuisse. Vtunque res comparata est, Romulum indole animi erectiore (si sagacitatem ingenii, natura donati, cum ferocia non nunquam commixtam appellitare malis, nil repugno,) suffultum plurima, quae mirificam ostendere visa sunt sapientiam, instituisse, potius ego quidem crederem, quam illum ea in artium palaestris de quarum conditione in tanta rerum obscuritate, parum constat, hausisse, statuerem; Quamquam tutior via est, in his suum suspendere iudicium, quam certi quid adfirmare.

## A 2

## §. 2.

(\*\*\*) Quod a vero non absonum videtur EM. WOLLEBIO, J. V. D. Basil. in Disq. Hist. de Causis proxime Antecedentibus Romae Fundationem, in Tempe Helvet. T. III. p. 469. §. 8. qui simul dubio occurrit, hoc expositionem insan-  
 ram non excludere, cum expositum fuisse primum, & postea in schola instrui, non  
 sint ἀσύστατα.



Insignia sapientiae prudentiaeque sibi innatae specimina Ro-  
 mulus in ferendis legibus, reipublicae admodum salutaribus, in  
 lucem edidit, quas maxima depraedicat laude DIONYSIVS, eas  
 l. II. p. m. 94. νόμους καλῆς καὶ συμφέροντας, honestas & vitales nomi-  
 nans, additque apparere ex illis, quam μισοπόντος, vitis infensus  
 fuerit. Qua ratione probatissimas de cultu Deorum leges deberi  
 Romulo, tradit: Mores eum Romanorum legibus temperasse, narrat;  
 Eum de nuptiis & consuetudine maritorum cum vxoribus sanxisse le-  
 ges, refert; De pietate & reuerentia liberorum in parentes, horumque  
 in liberos facultate, statuisse, monet; Leges illum tulisse de priua-  
 torum exercitiis, opificiis, vitaeque, addit. Quas leges auctor dictus,  
 summa collectas diligentia, quod ad sensum atinet, pluribus re-  
 censuit. Sed tamen non secundum verba, prouti a Romulo sunt  
 promulgatae, illas excitauit. Alioquin ad leges Romuli peculia-  
 rem scripsit librum FRANC. BALDVINVS, Jctus saec. XVI lon-  
 ge. CLb in quo leges ipsius octodecim commemoratas explicat,  
 quas in antiqua se tabula inuenisse, contendit: At CVIACIVS eas  
 non pro veris, sed suppositiuis & fictis agnoscit. v. JO ROSI-  
 NVS in Antiqu. Rom. l. VIII. c. V. de Jure Papiriano s. legibus Re-  
 giis p. m. 556. ff. S. PITISCVS in Lexic. T. II. p. 440. Quod  
 ad totidem attinet, verba, ROSINVS l. c. p. 559. Vnam tantum  
 exstare Romuli legem, a FESTO referuatam, at interpolatam  
 adfirmat, secundum JO. SCALIGERI emendationem his con-  
 ceptam verbis: SEI PARENTEM PVER VERBERIT, AST  
 OLOE PLORASSINT, PVER DIVEIS PARENTVM SACER  
 ESTO. SEI NVRVS, SACRA DIVEIS PARENTVM ESTO;  
 Id est: Si parentem puer verberarit, ut ille plorarit (inclamari),  
 puer Dñs parentum sacer esto; Si nurus (verberarit parentem), sa-  
 cra



era Diis parentum esto. v. De hac lege ILL. CHRIST. GODOFR. HOFFMANNVS in *Hist. Juris Rom. Justin. Vol. II. Sect. I. p. 11. ff.* & CL. GEBAVERVS in *Diff. supra not. 1. alleg. c. 3. §. 4. p. 31.* Cuius legis particulae posteriori quandam ex raptis Sabinorum foeminis occasionem dedisse, haud perperam coniicit PAVLVVS MERVLA in *Opere posthumo de Legibus Romanorum c. II. §. 4. & 5.* Conf. GEBAVERVS l. c. Nec tamen haec sola est lex Romuli, cuius verba restant nobis: Insuper altera est residua, quam apud VLPIANVM *Tit. XI. §. 1.* legimus: SI PATER FILIOM TER VENVM DVIT, FILIVS A PATRE LIBER ESTOD, i. e. *Si pater filium ter venum dederit, filius a patre liber esto.* Quam Romuli esse legem, ex DIONYSII l. II. p. m. 97. luculenter patet, qui pluribus eam interpretatur. Conf. GEBAVERVS l. c. §. 5. p. 31. seq. (\*\*\*)

## §. 3.

Tertia tandem, cuius restant verba, Romuli lex est haec, de qua nobis praecipue sermo est, his nempe concepta verbis: SEI PATRONOS CLIENTI FRAVDEM FAXIT, SACER ESTOD, i. e. *Si patronus Clienti fraudem fecerit, sacer esto.* SERVIVS *ad Vir-*

A 3

gil.

(\*\*\*) Nimis dura est lex, quam de patria in liberos sancivit potestate Romulus. DIONYSIVS enim l. II. p. m. 96. seq. postquam nimis circumscriptam Graecorum patrum in liberos potestatem, quae saepe indecora multa in parentes committendi ansam liberis dederit, culparat, a Romanorum legislatore praescriptam eum laude narrat disciplinam, tradens, eum omnem patri in filium potestatem eamque toto vitae tempore dedisse, siue in carcerem eum detrudere, siue flagris caedere, siue ad iustica opera vinculum ablegare, siue necare libuerit, etiamsi filius tractarit rempublicam, & maximos gesserit magistratus. Bis vendere filium patri licuisse, post tertiam vero venditionem, patria eundem potestare fuisse liberum. Certe tam crudeliter in mancipia saeuire, improbat ratio, nedum in liberos, in quos paterna, id est benigna, miti amorisque plena, non tyrannica, uti disciplina, paternus suadet adfectus. Idque praecipuum est, quod leges, a Romulo latas, maculat.



gil. *Aeneid.* l. VI. v. 614. verba: *Fraus innexa Clienti*, hanc Romuli legem nobis referuauit, qui legem esse XII. tabularum, adfirmavit, his vsus verbis; *Ex lege XII. tabularum venit, in quibus scriptum est: Patronus si Clienti fraudem fecerit, sacer esto. Si enim Clientes quasi colentes sunt, patroni quasi patres: tantundem est Clientem, quantum filium fallere; & hoc posse fieri ex Horatii dictis intelligimus, qui cum loqueretur de auaris potentibus, ait de vicino Cliente: Pellitur paternos in sinu ferens Deos. Urbano tamen hoc displicet, & dicit, rarum esse hoc, magisque contrarium, cum magis Patronos decipiant frequenter Clientes. Vult autem intelligi praeuaricatores, qui Patroni sunt Clientum, quos nunc susceptos vocamus. At re ipsa lex est Romuli, quod testatur, DIONYSIVS I. II. p. m. 84: *Ei δὲ τις ἐξελεγχθῆναι τέτων τι διαπραττόμενος, ἐρχοχος ἦν τῶ νόμῳ τῆς προδοσίας, ὃν ἐκύρωσεν ὁ Ῥωμύλος. Τὸν δὲ ἀλόντα τῶ βελομένῳ κτενεῖν ἴσιον ἦν, ὡς θυμὰ τῶ καταχθονίῳ Δίῳ. Ἔθος γὰρ Ῥωμαίοις, ὅσους ἐβέλοντο ἠπτονὶ τεθνάσαι τὰ τέτων σώματα Θεῷ ὑπαθήτην, μάλιστα δὲ τοῖς καταχθονίοις κατονομάζεν. ὃ καὶ τότε ὁ Ῥωμύλος ἐπέστησε.* Ex versione SYLBVRGII: *Quod si quis deprehensus esset, aliquid horum facere (nempe, vt alteri accusarent alteros, aut aduersum dicerent testimonium, ferrentue iusfragium, aut censerentur inter inimicos), tenebatur lege de proditoribus, quam sanxit Romulus: Convictumque eius criminis cuius fas erat, vt Diis sacrum, interficere. Mos enim erat Romanis, quos vellent impune occidi, eorum corpora deuouere Deo cuiuspiam, praecipue Diis inferis: Quod tunc quoque fecit Romulus.* Hinc etiam non absolum est, quod MERVLA *de Leg. Rom. c. 2.* testatur, se vidisse SERVII exemplar manu exaratum, in quo diferte locus citatus sic fuerit conceptus: *Ex lege Romuli & XII. Tabularum hoc venit, &c.* Exposuit hanc legem pluribus JO. NIC. FVNCIUS in libro elegantissimo: *Leges XII. Tabularum*, ad Tab. VII.*



l. 17. p. 352. seqq. Conf. II. L. HOFMANN. l. c. Sect. I. p. 10.  
seq. GEBAVERVS l. c. p. 31.

## §. 4.

Nunc duo inquirenda sunt momenta: 1) quid per proditionis crimen hoc loco intelligatur; 2) quid per deuotionem Diti factam. Prius paucis in praesenti edisseramus, posterius ad instantem proxime scribendi occasionem dilatari. DIONYSIVS l. c. *προδοσις* voce vitur. Descendit *προδοσις* a verbo *προδίδωμι*, cuius varii apud veteres occurrunt significatus. Primario, vique compositi-  
onis notat, prior *do*. Sic PAVLVS Rom. XI. v. 35. (\*) *τίς προ-  
έδωκεν αὐτῷ; quis prior ipsi (Domino) dedit?* Bene LVTHERVS:  
*wer hat ihm etwas zuvor gegeben?* Item significat *do ante tem-  
pus*, vt apud ARISTOTEL. *Oecon.* l. 2. *προδοδομένη σιταρχία, stipen-  
dium ante tempus solutum.* Deinde frequentior τὴ *προδίδωμι* notio  
est *desertionis*, vt *προδίδοναι τὰ καθήκοντα, officia deserere.* Exempla  
suppeditant H. STEPHANVS & SCAPVLA. Tandem, vt reli-  
quas rariores praetermittam significationes, vsurpatur pro *prodere*,  
*verrathen*, vt *προδίδοναι πόνον.* Inde descendunt voces abstractae  
*πρόδοσις* & *προδοσία*, ratione originis, *prior datio*, deinde, *desertio*,  
item *proditio*. Ὁ *προδοτής, desertor fidei*, it. *proditor*. Quibus expli-  
catis, quaeritur, quo sensu apud DIONYSIVM, de Romuli lege  
loquentem, *προδοσις* vocabulum veniat? Bene mihi huc quadrare  
videretur *desertionis* notio, quia Romulus deuotionis poenam Pa-  
tronis & Clientibus dicitabat praeuaricantibus, qui *fidem* sibi in-  
vi-

(\*) JO. MILLIVS in *Leet. Variant. Noui Testam.* ad h. l. & SOPINGIVS ad  
*Hesych.* in *Schrev. Edit.* p. 786. obseruant, AMBROSIVM de *Fide* libr. IV. c. 6.  
videri legisse, *προδοσις*, quoniam addat: *Vides, quoniam, cui nihil addi potest,  
non dispar a pleno est;* At praestat recepta lectio ob verba sequentia: *ἀντανδο-  
σθεως αὐτῷ, ei retribuitur.*



vicem datam, *deserebant*, non officiorum modo immemores, sed & illud, quod erat officiis contrarium, agentes, e. gr. si se inuicem accusabant in foro, si aduersum dicebant testimonium contrariumque ferebant suffragium. Quin adeo puto, Romuli ex lege, Patronum *προδοσιας* fuisse reum, qui Clienti non respondebat de iure, nec absentis praesentisque curam habebat, nec accusatoris in foro sustinebat impetum, & quae sunt reliqua: Vt e contrario inter proditores Clientium illi fuerunt numerandi, qui pauperes Patronos non adiuuabant, filias elocantes, qui ab hoste captos non redimebant, qui priuatarum litium perditarum aestimationes & multas publicas pecuniarias pro Patronis non soluebant, reliqua vt taceam. Quemudmodum haec *τὰ καθήκοντα*, s. officia vtrorumque, nec non fidem explebant datam: Ita huius desertor fidei erat criminis *προδοσιας* reus, Diuque deuotus. Inter desertorem vero & proditorem hoc statuo discrimen, quod alioquin est inter genus & speciem, vt philosophi loquuntur. Nempe non omnis desertor est proditor, quanquam omnis proditor inter desertores referendus est. Latus desertionis crimen patet, & ad plures se extendit, quam proditionis, quod summa desertionis est species. Sed haec pluribus in praesentia, persequi nequeo. Alioqui proditores describit SVIDAS in *Lexico* sub voce *προδοσιας*, qui vero patriae proditores tantum depingit, tum negatiue, vt aiunt, qui tales non sint, tum positue, qui eorum in numerum sint referendi,

\* \* \*

Sunt nonnulli ex discipulorum numero in arenam producendi, suas in arte dicendi vires tentare cupientes. Tum scriptionis argumentum, quod in praesenti tractauimus, tum nefandum Iudae



Ischariotae facinus, qui generis humani Redemptorem prodidit, occasionem mihi obtulerunt, eis materiam de Proditione & Proditoribus, pro virili explanandam, tradendi, quod demandatum sibi officium sequenti ordine prosequentur:

I. JO. TRAVGOTT TZSCHEYLIVS, Lausensis, *de proditionis crimine, generatim considerato*, verba prosaico Latine dicendi genere faciet. Quem secuturus

II. FRID. GVILIELMVS HESSIVS, Rochlitienfis, *de patriae proditione* dicet, eodem sermonis genere vsurus. Postea

III. PETRVS LENTSCHIVS, Pleffensis, *de proditione magistratus, imprimis Principis*, Graecum recitabit sermonem. Quo facto

IV. JO. ANDR. EHLIG, Dresdenfis, *de proditione Patronorum beneficorumque*, verbis conceptam Latinis orationem habebit. Dein

V. JO. CHRISTIANVS THIERSIVS, Somsdorfensis, *de amicorum & hospitem proditione* eodem sermonis genere locuturus, in medium prodibit. Tandemque

VI. CHRISTIANVS GODOFREDVS HENRICVS, Dahlenfis, *de nefanda Judae Ischariotae proditione, qua Redemptorem nostrum optimum hostium manibus tradidit*, pariter Latinis verbis perorabit.

B

Sunt



QKTK 3388

X 352 1923

Sunt isti quidem iuvenes, primum in arenam descensuri, quorum conatus sunt laudandi, etsi desint vires. Interim tamen quosvis bonarum artium amatores, scholarumque FAVTORES atque PATRONOS, imprimis MAGNIFICVM EPHORVM, AMPLISSIMVM SENATVM, scholae nostrae benignissimum nutritorem, PLVRIMVMque REVERENDOS VERBI DIVINI MINISTROS volo rogatos, vt eorum exercitio frequentes praefito sint auditores, illosque hac benevolentia & fauore ad maiores, suscipiendos impofterum, conatus benigne exstimulent. Quod beneficium, scholae praestitum, gratissima mente deuenerabor.

Dabam Dresdae, Cruciani ex museo, die XXIV, mensis Febr.

A. O. R. M DCC LXIII.




III. PETRVS LENTICIVS, Pflanzl. in proditione m...  
 IV. IO. ANDR. ...  
 V. IO. CHRISTIANVS GODFRIDVS HENRICHVS, ...  
 VI. CHRISTIANVS GODFRIDVS HENRICHVS, ...

222 B







B.I.G.

Farbkarte #13

ROMVLEA  
DITIONIS CRIMINE  
PATRONORVM ET CLIENTIVM

II k  
3388

AD  
MORATO-  
IVM

AE SPEI IUVVENVM  
NE ET PRODITORIBVS  
ASTINA LVCE

MENSIS FEBRVARIIS  
MDCCLXIII.  
HABENDVM

EPHORVM AMPLISSIMVM  
IMVM REVERENDOS, V. D.  
MINISTROS

NEC NON  
VM ARTIVM SCHOLARVMQVE  
FAYTORES

NISSIME INVITAT  
HORVS KRETSZCHMAR  
CRVCIANI RECTOR.

RES DAE  
NIS GVILIELMI HARPETERI

BIBLIOTHECA  
PONICKAVIANA

UNIVERSITÄT  
HALL  
BIBLIOTHEK